



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

8. Sollicitudo, apud homines magna, apud Deum s[a]epe non satis magna.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

mosyna tua, reficere pauperes suos; & quidem eos, qui se se illi in locis solis totos consecrauerunt. Hæc exequere. Si neglexeris, scito, te superos iratos, si feceris debitores habiturum.

VIII.

Terruerunt eum hæc verba, & somnos ruperunt. Nec enim potuit diutiùs dormire à cælo tam robustis vocibus excitatus. Itaque multò, quàm consueuerunt isti, citiùs stratum deserens, de toto negotio seriò cogitauit. Cum autem nesciret Eremitarum locum, non illico se se excusatum censuit; non sua solùm nixus est prudentia, neque sibi ipse senatus esse voluit; sed necessarijs, amicis, officijs seruisque vndique conuocatis somniùmne dicam, an visum nocturnum? ordine narrauit; & se parere monitis promptissimum ostendit. Ceterùm, quia ipse ignorârat, vbinam locorum serui illi Numinis morarentur, consilium viamque sedulò rogauit; æquè auidus itineris noscendi, atque exequendi mandati. Adhuc in eum diem Frontonius, cum suis, latebat, in abditissimo montis loco; quem ipsum, ne dum ipsos, præter ipsos nemo nouerat. Quare neque experti, neque qui senectâ erant ætate, consilium viæ exigenti potuerunt respondere. Et tamen (ô Iudicia Dei!) nondum satis egit, qui consilium non inuenientibus, aut in longum differentibus, sat se egisse arbitratur. Quis non putaret, talem excusatum? quis non somnium inanè fuisse, interpretaretur? Nesciebat locum, non nouerat homines; post accuratam inquisitionem, ne diuinare quidem potuit, vbi inuenirentur. Et facile fortasse etiam erat diuiti, ventis tradere mandatù liberalitatis.

IX.

Itaque, curâ eleemosynæ largiendæ omni seposita; securus sui, nocte altera quieuit. Sed non quieuit Deus, qui sæpe angustijs plagisque homines adigat ad bene agendum. Adest ergo iterum Angelus, nec iam mitibus atque amicis, sed sæuis, indignantibus, & minantibus verbis vrget torpentem ad seriam mandati executionem; ac, ne denuò somnium esse existimet, addit verbis acerbis grauiora verbera, & ictibus confirmat sermonem. Tù verò ille se è plumis actutum proripit, rursùmque, & familia omni, & vicinis vndique citatis, consilium non iam rogat, sed flagitat, iubetque, per alios quoscunque, sedulò inquiri in habitationem Eremitarum, si ipsi nesciant. Verbis vim lachrymæ addiderunt; lachrymas autem non de nihilo cadere, ostendebant nondum obductæ cicatrices, ab Angelo percutiente, relictæ. Multùm agitata est quæstio. Nescientibus cunctis, nec viam consulendi inuenien-

ti.